HIERONYMUS. BERNARDUS CLARAEVALLENSIS. BEDA VENERABILIS

Österreich oder Süddeutschland, 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26118
Copyright: Admont, Benediktinerstift

A sexta autem hora tenebre facte sunt super universam terram usque in
horam nonam. Qui scripserunt contra evangelia suspicantur eclypsin solis
que certis statutisque temporibus accidere solet discipulos Christi ob imperitiam
super resurrectione domini interpretatos. cum defectus solis numquam
nisi ortu lune [+ noue] fieri soleat. Nulli autem dubium est pasche tempore
lune lumen fuisse plenissimum. Et ne forsitan videretur umbra terre
vel orbis lune soli oppositus breves et ferrugineas fecisse tenebras.
trium horarum spatium ponitur. ut omnis causantium occasio tolle
retur. Et hoc factum reor ut compleretur prophetia dicens. Occumbet
sol meridie et contenebrabitur super terram in die lux. Et in alio loco.
Occubuit sol cum adhuc media esset dies. Videturque mihi clarissi
mum mundi lumen. hoc est luminare maius retraxisse radios suos.
ne aut pendentem videret dominum. aut impii blasphemantes
sua luce fruerentur. Et circa horam nonam clamavit Ihesus voce
magna dicens. Heloy. Heloy. lemasabactani. Hoc est. Deus meus.
deus meus. quare dereliquisti me. Principio vicesimi primi psalmi
abusus est. illud quoque quod in medio versiculi legitur. respice me. super
fluum est. Legitur enim in hebreo. Deus deus meus quare dereliquisti me. Ergo impii
sunt qui psalmum ex persona David sive Hester et Mardochei dictum
putant. cum et evangeliste testimonia ex eo sumpta super salvatore
intelligantur. ut est illud. Diviserunt sibi v. m. et s. v. m. m. s. et alias.
Foderunt manus m. et p. m. Nec mireris verborum humilitatem et queri
monias derelicti. cum formam servi sciens scandalum crucis vi
deas. Quidam autem illic stantes et audientes dicebant. Helyam
vocat iste. Non omnes sed quidam. quos arbitror milites fuisse romanos.
non intelligentes sermonis hebraici proprietatem. sed ex eo quod dixit hely
hely. putantes helyam ab eo invocatum. Sin autem iudeos qui hoc
dixerint intelligere voluerimus. et hoc more suo solito faciunt.